

fuit, qui capite pannis involuto, & fenestris cubiculi probè clausis simulavit, se vix posse loqui, atque ita in præsentia Notarii non aliter, ac si ipse verus esset dominus, testamentum fecit, inque eo uxorem istam callidam instituit hæredem.

Verùm quid dicendum de illis, qui liberos suos tanquam non baptizatos, cum tamen revera baptizati sint, bis aut etiam pluries rebaptizari faciunt, saltem ut nummos baptismales eò sæpius lucrentur, & ita liberos suos, quales non sunt, scilicet qui nondum sunt recepti in fœdus Servatoris per sacrum baptismum, apud diversos hinc inde divulgant, distinctis in locis baptismum repetunt, novosque semper exorant paternos, cum tamen infantes isti jam tum sint baptizati; illi ob atrocitatem hujus criminis falsi, quatenus non sine magna blasphemia Sacramentum hoc repetunt, ob privatum, sed turpe lucrum, fustigatione cum perpetua relegatione puniendi sunt. Cujusmodi casum in femina, quæ infantem suum ob pecuniam consequendam ter baptizari fecerat, Anno 1597. contigisse refert. Carpzov. part. 1. Qv. 93. n. 43 fol. 370. Pr. Crim.

ARTIC. CXIII.

Pœna eorum, qui pondere, mensura, vel adulteratis fucosisque mercibus falsam commiserint.

Straff der Fälscher / mit Maas / Waag und Kauffmannschafft.

Welcher bößlicher und gefährlicher Weis / Maas / Waag / Gewicht / Specerey oder andere Kauffmannschafft fälschet / und die für gerecht gebraucht und aufgibt / der soll zu peinlicher Straff angenommen / ihm das Land verbotten / oder an seinem Leib / als mit Ruthen aufgehauen / oder dergleichen / nach Gelegenheit und Gestalt der Ubersfahung gestrafft werden: Und es möcht solcher Falsch als offt größlich und bößhafftig geschehen / daß der Thäter zum Tode gestrafft werden soll / alles nach Rath / wie zu Ende dieser Ordnung vermeldet.

AD ARTIC. CXIII.

ARGUMENTUM.

Qui sciens, dolò malo, & animo fallendi mensuras stateras, pondera, libras, aromata, vel alias merces, quibus exercetur mercatura, corrumpit, adulterat, easque pro justis & probatis publicè exponere, aut venundare
D d d
audet,